



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi
Societatis Iesv**

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Eius publica in triclinio demissionis exercitia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

verò haud paullò ministrabat libentiūs, qui publicis defuncti laboribus seriūs in triclinium veniebant: sub initium finemque seruendi, ad orandum in genua se submittebat, postremus ferè ministrorum triclinio excedere consuetus.

Sabbati diebus omnibus manè ac vesperi in culinâ eluendis lancibus operam nauabat: deprehensusque à Rectore inseruire mensæ frequentiūs, cùm id ei vetaretur, tam alacriter desijt, quām promptè anteà ministrarat. Non possum non referre hoc loco rem & à nostris domi, & ab externis sæpiùs obseruatam; nimirum Ioannem, finito anterioris mensæ ministerio, solitum in templum venire ad venerandam sanctissimam Eucharistiam, interuallo illo quod inter priorem alteramque interest mensam; ac tum si signum prandij daretur cùm aut curuare genua cœpisset, aut incuruasset, abruptâ statim aut intermissâ genuflexione, ad triclinium redire, diligentissimè notatum: adeò promptè exalteque legibus parere consuerat. Nemo *publica in*
triclinio
demissionis
exercitia-

Scholasticorum illo frequentior aut publicas in triclinio poenas de seipso sumebat, aut demissionis mortificationisque specimen dabant. Septimanis singulis pannosâ lacernâ aut veste suâ genus aliquod humilioris exercitationis publicè edebat, salubri multorum exem-

exemplo: atque ut leues hasce contumelias duceret, non eò tamen negligebat: quin aliquando mihi affirmauit, singulari se toties dulcedine perfundi diuinitus, quoties vel Patrum Fratrumque accumbentium pedes ex oscularetur, quos ambabus ille manibus non sine amoris cuiusdam significatione, prehensabat. Quâ ego re compertâ, cùm ad me vltro pœnam aliquam subeundam publicè exoraturus veniret, dicere illi cōsueueram, Subi pœnam illam tibi suauem ac iucundam.

Non solum (quando ei per hebdomadam id munus obtigerat) mēsarum analæcta sporulis seruata ad portam latus pauperibus erogabat, sed quoties is, cuius ea cura, aut æger aut occupatus aberat, vel indicasse id Ioanni sufficiebat ut promptissimè aduolaret; eratque vulgo perfugium omnium ad id genus officia ambitiosissimè suscipienda, si quis impeditior vicem ei suam demandasset. Purgandarum curandarumque lampadum (quæ per Domus ambulationes & porticus lucent) munus impositum ei fuit; quod olim quoque in Romano Collegio B. Aloysio fuerat commendatum: nec facile verbis exprimi queat, quantâ hoc negotium procuraret curâ, vel solâ recordatione Aloysij, à quo sibi lampadem quasi tradi, non infausto omne gestiebat. Igitur nullo non die lucernas inspicere,

exina-

exinanitas oleo ellychnioque instruere; fungos & amurcam extergere, diebus feriatis aut prius mundare quam ad vineam egredi, aut citius domum ad concinnandas reuerti. Ac veritus ne hoc quisquam munus (quantò quidem in speciem vilius, tantò apud Deum honorificentius) inuideret sibi, Rectorem summissè exorauit, eam sibi prouinciam diuitiis confirmaret, etiam si per hiemem in commodissimè ab eo administraretur, cuius nempe iam manus, digitique nimio frigoris appulsi tumefacti atque ambusti, miseracionem intuentibus commouebant. Et inerat carni eius tanta mollitudo, ut non aures modò, sed & vultus totius cutem Boreales ei aure adusserint. Quo viso, Sacerdos aliquis ratus id voluntariâ aliquâ Ioannis asperitate procuratum, Nimium, inquit, mi frater, in temet asper ac durus es. Cui contrâ Ioannes, Falleris, ait, mi Pater; sed ut ita esse faciamus, facti certè me non puderet, cum inter Reliosos id genus afflictiones asperitatesque pudori esse non possint. Omnibus perpetuò & omnes de-
loci & meliorum rerum decus honoremque missè ho-
deferebat, studebatque seu statu, seu sessu, seu norat.
incestu, decadere semper vnicuique, non mi-
nore obseruantiae significatione, quam si sin-
guli maiores eo fuissent. quod scriptis hisce
verbis expressit: Geram me cum fratribus meis

K omni-